QUOD DEUS BENE VERTAT!

COLLEGII FEUDALIS PUBLICI

DISPUTATIO TERTIA

DE PERSONIS FEUDA DANTIBUS, ET ACCIPIENTIBUS.

Quam

Permiſſu Magnifici & Nobiliſſimi ICtorum in Perilluſtri Salanâ Ordinis

SUB PRÆSIDIO

Viri Ampliſſimi, Conſultiſſimi atq; Excellentiſſimi

Dn. ERASMI UNGEPAUR,

ICti longè Celebratiſſimi, Profeſſoris hujus Academiæ Publici, Conſiliarij Saxonici Graviſſimi, Curiæ Provincialis, & Scabinatus Aſſeſſoris Digniſſimi, Promotoris & Præceptoris ſui omni, quo par eſt obſervantiæ cultu ætatem ſuſpiciendi

IN AUDITORIO ICTORUM

Horis matutinis ſolitis

Ad diem Martij

defendet

MICHAEL Reinhardt / Cizenſis Miſnicus.

BIBLIOTECA ...

JENÆ,

Typis PHILIPPI LIPPOLDI,

ANNO M. DC. XXXVI.

D. O. M. A.

THESIS I.

Explicatâ Feudi definitione & diviſione, cauſæ jam feudum conſtituentes perluſtrandæ veniunt. Quemadmodum enim totum Jus, quo utimur, circa perſonas res & actiones verſatur, & in acquiſitione conſervatione & amiſſione conſiſtit *l. fin. ff de legibus* ita & Jus feudale circa eadem occupatum videmus. Hoc igitur loco de perſonis tùm feuda cõferentibus, tùm eadem accipientibus tractatio inſtituenda eſt; Præcipua autem eſt in illarum cognitione disquiſitio, cum accipientes vires ſuas exerere nequeant, niſi perſonæ tales ſint, quibus feudum dare prohibitum non eſt.

II.

Sciendum autem, olim non licuiſſe, omnibus feuda dare, ſed his tantùm perſonis, quibus vel dignitas vel nobilitas vel antiqua consuetudo id tribuit: indecorum enim fuit judicatum, ut ruſticus ſub ſe haberet vaſallos & ſubditos, cùm ſit quaſi dignitas habere vaſallos, cui & Jurisdictio ineſſe videtur, uti ex *Alvarotto lib. 1. F. tit. 1. n. 8. notat Schneidw. in Epit. feud. p. 3. n. 1. Obrecht. D. F. 3. th. 13.*

III.

Hodiè verò pro Regula traditur à Feudiſta *in pr. per quos fiat inveſt. 2. F. 3. quod omnes, qui legitimè bonorum ſuorum adminiſtrationem habent, nec ſpecialiter rem ſuam alienare prohibentur, feuda dare poſſint.* Duo enim conjunctim requiruntur, ut quis & dominus ſit, & rerum ſuarum liberam adminiſtrationem habeat, *d. pr.* Hi in Jure feudali paſſim vocantur Domini, nonnunquam etiam ſeniores, *c. un. quibus mod. feud. amitt. 1. F. 17. c. ſi aliquis, apud quem vel quos & c. 1. F. 18.* domini quidem, non quod dominium & proprietatem retineant & uſumfructum ſaltem alteri cedant, ſed propter fidem & ſervitia plerumq; ipſis debita, honoris cauſâ. Seniores verò, non ratione ætatis, ſed ex eadem honoris cauſâ. Nec intereſt, ſive maſculi ſint ſive fœminæ, vel Clerici vel Laici *d. pr. 1. F. 1 pr. epiſcop. vel abbat. 1. F. 6. c. 1. §. fœminam per quos fiat inveſt. 2. F. 3.*

IV.

Cum autem à digniori eſt incipiendum, ſecundum Imp. *in § fin. Inſt. de J. N. G. & C.* ideoq; de Eccleſiaſticis ſeparatim primo loco dicendum videtur. Et hi Clericorum appellatione veniunt, qui divino cultui Religionis miniſteria impendunt, vel Eccleſiæ deſerviunt. *c. clerus 1. diſt. 21. Borcholt de feud. c. 5. n. 1.* ſuntq; vel in *ſummo* vel in *medio* vel in *infimo dignitatis gradu* conſtituti.

V.

In *ſummo gradu* eſt Pontifex (à ponte faciendo ſic dict9, quod pontem faciat h. e. vitam oſtendere debeat aliis bono exemplo vitæ & doctrinæ. *c. inter de offic. judic. ordinar.*) quia inter omnes perſonas Eccleſiaſticas primum ſibi vendicat locum & præ alijs non ſecus ac ſol inter planetas, atteſtante Baldo, eminet ac fulget. De eo an feudum dare poſſit, quæſtio hoc loco inſtituitur? Quamvis autem nonnullis id dubium reddatur tùm propter *d. pr. 1. F. 1.* in quo nulla fit mētio pontificis, tùm quia ipſe ſe ſervum ſervorum appellitet, nihilominus tamen dicendum videtur, Papam ſine dubio aliis feuda conferre poſſe. Si enim inferiores Prælati infeudare poſſunt, multò magis Papa, qui dicitur ſummus pontifex hoc facere poterit *Schneidw. d. p 3. n. 6.* Quod v. ſe ſervum profiteatur, id non ſeriò ſed ex conſuetudine quadam vel ſimulata, potiùs ſubmiſſione fieri docet *Magnif. & Nobiliſſ. Dn. Arum. Præcept. & Promot. meus ætatèm deuener. Diſp. f. 3. θ. 3.*

VI.

In medio gradu ſunt Patriarchæ, quorum ordinem tempore Concilij Niceni primi introductum putat *Magn. Dn. Arum. d. l. θ. 4.* Et de his non dubium eſt, quin feuda dare poſſint, quamvis eorum quoq; in jure feudali *d pr. 1. F. 1.* nulla fiat mentio *Matth. de Aſtict. in d. pr. 2.* Archiepiſcopi, quorum expreſsè meminit Feudiſta *d. l. 3.* Epiſcopi, qui ſine controverſia feuda concedunt, tùm propter *d. pr. 1. F. 1.* deciſionem, tùm quia illuſtres ſunt perſonæ, & reſpectu adminiſtrationis æquiparantur Præſidibus & Prætoribus Romanis, uti Comites ac Marchiones uti ex *Dd.* notat *Magn. Dn. Arum. d. l.*

VII.

In *infimo Eccleſiaſticæ dignitatis gradu* ſunt 1. Abbas, qui

mona

monaſterio præeſt ita dictus, quod ſit quaſi pater monachorum & in eorum vitam & mores inquirat. 2. Abbatiſſa, quæ monialibus præeſt, quaſi mater illarum, virgo ad minimũ ſexagenaria *c. juvenculas 12. cauſ. 20. q. 1.* 3. Præpoſitus, qui in Eccleſiarum capitulis alijs præfectus, rerumq; Eccleſiaſticarum diſpenſationem habet, *c. quamvis 9. X. de V. S.* Hi omnes nõ minus ac illi in ſecundo gradu rectè alijs feuda dare poſſunt propter expreſſam *d pr. 1. F. 1.* eorum mentionem.

VIII.

In his perſonis Eccleſiaſticis duo caſus omninò à ſe invicem diſtinguendi ſunt. Aut enim volũt infeudare bona propria aut res Eccleſiæ. Priori caſu dubitatione non caret, Clericos, cujuscunq; ſint ordinis & cõditionis, bona ſua propria & patrimonialia alijs quocunq; modo nõ ſecùs ac laicos infeudare poſſe, *c. un de clerico qui inveſt. fec. 2. F. 35.* In proprijs n. bonis pro laicis habentur, ideoq; non privilegijs Eccleſiæ ſed jure communi utuntur *Obrecht. d. l. th. 70. & ſeq.* Poſteriori vero caſu diſtinctè procedendum eſt.

IX.

Notandum autem, Pontificem olim Res Eccleſiæ infeudare non potuiſſe, quia Impp. non ſolùm Archiepiſcopatus, Epiſcopatus Abbatias & cæteras dignitates Eccleſiaſticas, ſed & Pontificatum ipſum Papæ conferebant, *c. Hadrianus 22. diſt. 63. ibiq; Dd. communiter.* Unde hæc majora Eccleſiaſtica feuda appellabantur Regalia, quia à Rege vel Imperatore Clericis conferebantur § *item ſi clericus de Capitulis Corradi 2. F. 40.* Poſtea verò cùm tractu temporis ex Conſtantini Imp. donatione *c. Conſtantinus diſt. 96.* (de qua tamen non immeritò dubitari poteſt) æquale Imperatori imperiũ ſe habere credat Pontifex, imò ſupra Imperatorem ſe eſſe glorietur, non ambigendum, quin Jus quoq; deijs infeudandi ſibi competere putet *Magn. Dn. Arum. d. l. th. 3.* In quo etiam hoc ſingulariter receptum dicunt Dd. ut non ſuæ tantùm Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ, ſed omnium omninò Eccleſiarum bona de novo in feudum cõcedere poſſit, ut ex *Matth. de Afflictis notat Schneidw. d. p. 3. n. 13.* quoniã ſecundũ Baldum in poteſtate & jurisdictione cum omnibus prælatis concurrit *c. 17. & 18. cauſ. 9. q. 3.*

X.

Reliqui verò Clerici non niſi de rebus Eccleſiæ illius, cujꝰ curam̃ gerunt alios infeudare poſſunt, idq́; non aliter quàm ſi antiquitùs Eccleſiæ illius mos fuerit, ut ejus prælati feuda darent, & inſuper res quoq; olim infeudari ſolitæ ſint, h. e. feudum antiquum ad Eccleſiam reverſum fuerit. *pr. de his qui feud. dar. poſſ. 1. F. 1. pr. epiſcop. vel abbatam. 1. F. 6.* Cũ enim Clericis rerum Eccleſiaſticarum & Ita quoq; rerum & juriũ feudalium adminiſtratio permiſſa ſit, non immeritò feuda ejusmodi ad ſe reverſa aliis concedere poſſunt. *Obrecht d. D. 3 th. 56.* Quod ſi verò res vel poſſeſſiones Eccleſiæ quæ tituli vocãtur *pr. epiſcop. vel abbatem 1. F. 6.* alijs in feudum dare velint, diverſum obtinere dicendum eſt, tùm ob prohibitionem Urbani Pontificis *d. l. 1. F. 6.* tùm quod ejuſmodi tituli ſive prædia Clericis ad alimenta deſtinata proprio patrimonij jure ad Eccleſias pertineant, & ob id alienationem impediant *Cuiac. 1. F. tit. 1.* tùm quoq; quod aliàs ſemel Deo dicatum ad prophanos uſus transferri non debeat. *c. Deo ſemel. de R. J. in 6. l. 6. §. ſacra ff. de rer. diviſ. Obrecht. d. l. th. 64. & ſeqq.*

XI.

Hoc loco non incommodè quæri poteſt: An Prælatus rem ad ſe reverſam & infeudari ſolitã, absq; conſenſu capituli alij poſſit in feudum dare? Negativa, licet in puncto juris teneri poſſit, ut loquitur *Schneidw. d. p. 3. n. 28.* Affirmativam tamẽ ut veriorem ita omninò ſequendam ſtatuit *Magn. Dn. Arum d. D. 3. th. 7. Schneidw. d. l. Zaſ. de feud. p. 5. n. 47. 1. per. c. 2. X. de feud.* 2. quia per hanc infeudationem nullum damnum infertur Eccleſiæ, cùm eodem modo, quo prior Vaſallus feudum habuit ad alium tranſeat. 3. quia hæc infeudatio non eſt nova alienatio, ſed veteris continuatio ſive primæ executio. Conſequens igitur, ſolennitates in alienatione rerum Eccleſiaſticarũ neceſſarias *c. fin. de reb. Eccleſ. alienand.* hic nõ requiri. Ab hac noſtra aſſertione excipit *Obrecht. d. l. th. 61.* caſum, quo cõceſſio feudi ſimul ad Prælatũ & capitulum pertinet & notat *Facbin. lib. 1. contr. c. 66.*

XII.

Sede tamen vacante Capitulum feudum renovare poſſe quia interim repræſentat perſonam Prælati totaq́; rerũ admi-

niſtra-

aſtratio eſt penes ipſum, non dubitat *Schrad. de feud. p.4.c.1. n.32.* Excipitur Eccleſia Cathedralis: in hac enim diverſum obtinere tradũt, *Zaſ. de feud. p.5. n.48. Sonsbec. de feud. p.6. n.4. Obrecht. d. l. th. 63.*

XIII.

Non autem debet Prælatus in Reinfeudatione novas aliquas adijcere qualitates, quibꝰ illa feuda alterentur, aut mutentur; ſed conſuetæ inveſtituræ tenore & non aliâ duriore cõditione in Eccleſiæ præjudicium alij rurſus concedât, veluti ſi feudum ſit maſculinum, fœminas reinfeudare nequit, vel ſi eſſet conſuetudo Eccleſiæ reinfeudandi uſq; ad tertiã generationem, non poteſt Prælatus eã extendere usq; ad quartam *arg. §. ſimiliter verſ. profectò de lege corradi 2. F. 34. Schneidw. de feud. d p.3 n.33. Rittersh. in part. feud. lib.1. c.5. n.6.* Ratio eſt, quia Prælatus Eccleſię conditionẽ meliorẽ, non a. deteriorem reddere poteſt. *l. 14. C. de S.S. Eccleſ. c. fraternitatem X. de donat.* Quodſi verò ultra ſolitum morem latiùs progrediendo feudum conferat, tum feudum nõ in totum ſed ſaltem in mutatis corruit, quia utile per inutile non debet vitiari *c. utile de R. J. in 6. Sneidw. d. l. Gail. 2. obſ. 4. n.14. Magn. Dn. Arum. d. D.3. th.8.*

XIV.

Non inelegantis aut indubitabilis quæſtionis eſt: An perſonæ Eccleſiaſticæ ſuis cõſanguineis etiam feuda ad ſe reverſa conferre poſſint? Affirmandum videtur tùm per *c. fin. X. de feud* tùm quod neq; civili lege neq; canonica ſanctione hoc prohibitum reperiatur, tùm deniq; vulgato illo, quod caritas ordinata incipiat à ſe ipſa *arg. l.6. C. de ſerv. & aq. c. non ſatis eſt. diſt.86.* modò tamen honeſtæ perſonæ ſint, & talis infeudatio Eccleſiæ onerosa non appareat *Myning. cent.5. obſ.47. Zaſ. d. l. n 51. Rittersh. d. libr. 1. c.5.* Non obſt. *Nov: 120. c.5.* argumento ducto ab Emphyteuſi ad feudũ, quod in jure perhibetur fortiſſimum, *Eberh. in Top. leg. in loc. ab Emphyt. ad feud.* Reſpondet enim *Magn Dn. Arum.* hoc non procedere, quando utrinsq; adſit ratio diverſa, ut hîc.

XV.

Ut autem Prælatus vel Capitulum res in feudari conſuetas rerũ infeudare poſſit, ita demùm procedit, ſi ſtatꝰ Eccleſiæ & conditio rei eadem quæ tempore conceſſionis fuit, adhuc du-

duret. Nam ſi Eccleſia interim ad paupertatem redacta ſit, vel res poſtmodum cultior facta, ita ut Eccleſiæ retinere expediat, Prælatus eã rem infeudare nõ debet *arg.c.2.X. de feud. Curt.jun.p.2.q.1.n.10.& 11.de feud.Ludwell in tract. feud.c.3.* ſed menſæ Eccleſiæ Tiſch oder Cammergut incorporare *Mynſing. c.5.obſ.47.Borcholſ.de feud.c.6.n.26.& 27.*

XVI.

Hæc de Perſonis Eccleſiaſticis, ſuccedunt Laicæ ſive ſeculares, quæ ſeculo potiùs quam Eccleſiæ inſervire dicũtur. Hæ vel ratione alicujus *ſuperioritatis ſive dignitatis vel nullâ ratione* feuda concedunt. Illius tres vulgò conſtituuntur gradꝰ *ſummus, medius, & infimus.*

XVII.

In *ſummo gradu* eſt Imperator, dictus ex eo, quod alijs ſmperat. Fuit autem hoc nomen primis temporibus Caſtrenſe ſive militare, quo dux exercitus à militibus donabatur: poſterioribus verò Princeps Romanus ita appellatus eſt, qui & ſæpiùs in Jure noſtro vocatur abſolutè Princeps *l.31.ff.de ll.l.16.ff. de in diem addict.* item caput & dominus mundi *l.9.ff.de L.Rhodiam de jactu.* In libris verò feudorum interdũ Princeps, quaſi primum caput ſeu primum locũ tenens. *c.un.quis dicatur Dux march.comes & c.2.F.10.* interdum Rex dicitur, *pr.de his qui feud. dar.poſſ.1.F.1.* Hic non tantùm bona ſua patrimonialia & propria, ſed etiam imperij, niſi tamen in ejuſdẽ vergat detrimentũ, licitè infeudare poteſt *c.un.de natura feudi 1.F.7. pr.de feudo marchiæ 1.F.14.c.un.quis dicatur Dux.2.F.10.* Quamvis enim illorum proprietas nõ ad ipſum Imperatorem jure patrimonij pertineat, tamen quatenus ijs ad ſuam & Imperij majeſtatem tuendam & augendam utitur, pro domino habetur, *l. 2. & 3. C.de quadrian.præſcript.Schrad.de feud.c.1.n.22. Bodin. de Republ. libr.1.c.9.Hotlom. illuſtr.qq.1.Ludwed. d. c. 3.* Solus autem feuda Regalia ſeu annexã dignitatem habentia, Scepter vnd Fahnenlehen in Imperio alijs tribuit. Hæ enim dignitates ex regali magnificentia & à ſolo Imp. tanquã fonte fluunt. *Schneidw. d.p.3.n.51.& ſeqq. Obrecht. d. loc. 85.*

XVIII.

In eodem ſuperioritatis gradu ſunt Reges ſuperiorem nõ recognoſcentes, ut ſunt Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ &c. Hi in ſuis

ſuis regnis non minùs ac Imp. in imperio jura majeſtatis habent, & tàm ſua quàm regni jura infeudare poſſunt *Weſenb. de feud. de his qui feud. dar. poſſ. n. 12. & ſeqq. Vult. 1. f. 3. n. 13.* Huc referendæ quoqve Reſpubl. liberæ ut Veneti & Florentini.

XIX.

In *medio gradu* ſunt Duces, Marchiones & Comites *d. pr. 7. F. 1.* Dux dicitur, qui à Principe de ducatu aliquo, Marchio qui de marchia, comes qui de comitatu inveſtitus eſt, *c. un. quis dicatur dux marchio comes & c. 2. F. 10.* Et hi dicuntur Capitanei Regni vel Regis. *d. pr. 1. F. 1.* In Imperio autẽ noſtro hos omnes præcedunt Electores, quibus non abſimiles ſunt in Gallia pares Regni, quorum dignitas & autoritas magna eſt in cauſis Regni dijudicandis *Contius de feud. de his qui feud dar poſſ* His dignitate proximi ſunt Archiduces, qui titulus in familia Auſtriaca primùm cœpit. Hos ſequuntur Duces abſolutè ſic dicti Hertzogen ſive Fürſten / licet plerumq; à ſe invicem diſtinguantur hæc duo vocabula, majorq; tribuatur dignitas illis qui vocantur Hertzogen / quam Principibus in ſpecie ſic dictis. His ſuccedunt Marchiones ſive Marggravij quaſi judices limitanei. Paltzgravij i. e. Palatij judices, Lãdgravij i. e. comites provinciales, Burggravij i. e. arcis præſidiiq; præfecti, Rheingravij ſive, Rheni judices. His inferiores ſunt, qui abſolutè comites vocantur, *Obrecht d. D. 3. l. 105. & ſeqq.* Qui Germaniæ Principes titulo & dignitate perpetuâ & in hæredes tranſitoriâ decorati ſunt. Et quamvis Imp. ſuperiorem recognoſcant, attamen ſecundum commune Dp. theorema tantũ eos in ſuis territorijs poſſe traditur, quantum Imp. in Imperio, cujus dicti veritas in materia propoſita ſic intelligi debet, quod ad inſtar Imp. feuda concedere queant: *Magn. Nobiliſſ. & Clariſſ. ICtus Dn. Arum. d. D. 3. th. 14.* Quod ipſum ſic explicandũ videtur, ut procedat, ſi de bonis particularibus ſui ducatus &c. abſq; ſtatuum ditionum & dignitatum damno aliquem inveſtiunt, ſecus ſi ipſi totum ducatum &c. alij infeudùm cõcedere velint, quod ipſis abſq; Imp. permiſſu conceſſum non eſt, *Schrad. de feud. p. 4. c. 1. n. 52. & ſeq. & ex eo Georg. Schultz. in Syn. feud. c. 4. n. 21.*

XX.

In gradu inferiore ſunt Valvaſores majores, *c. un. de nat. feud.*

 1. F. 7.

1.F.7.c.un.quib.mod.feud.amitt.2.F.17. (Ita barbaro vocabulo à Vaſvis, appellati) quod ad valvas dominorum cuſtodiæ & reverentiæ causâ ſtent. Hi à ducibus Marchionibus & Comitibus, feuda accipiunt, & ipſi quoq; aliis feuda dare poſſunt *d. pr.1.F.1.* vocanturq; Valvaſores Regni vel Regis, item Capitanei, licet minùs propriè, ut vult *Obrecht.d.l.8.n.3.* Ad hūc gradū referūnt Barones, terrarum dominos, die Land Herrn / & qui inter Nobiles eminent, item in Gallia ſubcomites & Barones, ſi *Covaro Tr.de feud.de his qui feud.dare poſſ.* fides habenda, licet Barones Imperii noſtri ad ſecundum gradum rectiùs hodiè referantur, *Obrecht.d.l.* quia Comitibus ferè æquiparantur *Zaſius de feud.d.p.5.n.29, Vult.1.F.4.n.14. Wurmbſ.Ex.7. p.5.q.24.*

XXI.

Nullius ſuperioritatis ſive dignitatis ratione feuda concedunt Valvaſores minores, item minimi *c.un.an maritus ſuccedat 1.F. 15.& c.un.de feudis datis minim. 1.F.16.* qui communi nomine Valvaſini dicuntur, *c.un.quis dicatur dux, marchio, & c. 2.F.10.* cujus generis ſunt omnes plebeii & pagani. Qui cum liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habeant, easq; pro lubitu alienare poſſint, non ambigendum erit, quin feuda dare queant *pr.per quos fiat in veſt.2.F.3.* Quod communi Dd. calculo ad ruſticum quoq; extenditur, non tantùm ob regulam *l.21.C. mandati & l.14.C.de contr.empt.* ſed etiam ob generalitatem *c. un.verſ.quia quis dicatur dux marchio & c.2.F.10. Magn.Dn. Arum. d.D.3.th.17.* qui tamen cujusq; loci conſuetudinem attendendam eſſe monet, qua ſi ruſtico id concedatur, ſalva res ſit, ſin denegetur, contrarium obtineat. His non obſtat, quod dominis feudorum juriſdictio tribuatur, quæ in privatos & laicos cadere non videtur per vulgata. Dicendum enim, de Jure Civili quidem illuc obtinere, Jus feudale verò omnibus, eo ipſo dum feudi dationem concedit, indiſtinctè etiam Juriſdictionem concedere, eamq; nō ex ulla dignitate, ſed ſola feudi lege & pacto pomanare *Feudiſtæ cōmuniter Lindeman. Diſp.feud. 1.th.70.*

XXII.

Abſoluto marium jure de fœminis tractatio ſeſe offert. Nondum autem inter feudiſtas ſatis expeditum eſt: An etiam fœminis jus feuda conferendi competat: Nonnulli enim cō-

ten-

vendunt, eas feuda dare non poſſe. ob rationes, quas refert & refellit *Obrecht.d.l.th.129. & ſeqq.* Contra affirmant quidam: quæ poſterior opinio juri noſtro feudali convenientior videtur, per §. *1.verſ.fœminam per quos fiat inveſt.2.F.3.* ubi fœminã novi feudi inveſtituram facere poſſe diſertis verbis traditur. E. multò magis veterem renovare poterit. Nec ambigendum erit ſi fœmina ex bonis ſuis feudum cõſtituit, quin juriſdictionem à lege vel conſuetudine feudali cõceſſam in vaſallos cæteraſq; prærogativas inſtar viri infeudantis conſequatur *Magn Dn. Arum.D.F.3.th.18.Schrad.p.4.c.1.n.59.Duar.c.6.n.11. Vult.1.F.3.n.9.Goed.D.F.4.th.1.lib.b.Gothofr. Anthon. D.f.2.th. 2.Finckel. D.f.5.contr.14.* Hanc autem aſſertionẽ Dd. reſtringere ſolent ut non procedat quando fœmina ex forma ſtatuti prohibetur alienare, quod tunc etiam infeudare prohibeatur *pr.2.F.3* Unde fœmina de Jure Saxonico per ſe ſine Curatoris ſui conſenſu infeudandi copiam nõ habet *Georg Schult.in Synopſ Feud.c.4.n.28.*

XXIII.

Videndum nunc de ijs, qui feudum dare non poſſunt, ubi notãda Regula, quæ traditur à feudiſta *in pr. per quos fiat inveſt. 2.F.3. Novi inveſtitura feudi (ait) non ab alio rectè fit niſi ab eo, qui legitimè bonorum ſuorum adminiſtrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de ſuis rebus impeditur alienare, is nec per feudum inveſtituram facere poterit.*

XXIV.

Duæ autem claſſes, conſtitui poſſunt. 1. eſt eorum, qui domini quidem ſunt, liberam tamen bonorum adminiſtrationẽ non habent. Ad hanc claſſem referendi ſunt omnes illi, quibus vel ratione ætatis vel morbi animi aut corporis vel poteſtatis cui ſubſunt, libera bonorũ adminiſtratio eſt interdicta. Ratione *ætatis* huc pertinent infantes, pupilli & minores 25. annis qui cum rerum ſuarum neq; adminiſtrationem neq; alienationem habeant, *l.11.ff. de acquir.rer. dom.* (firmo enim deſtituũtur judicio *l.1.pr.ff. de minor.*) feuda utiq; dare non poterunt. Quod de novi feudi conſtitutione indubium eſt *d. pr. 2.F.3.* adeò ut de eo nequidẽ cum tutoris vel curatoris autoritate & conſenſu inveſtituram facere poſſint. Cum enim datio novi feudi ſit alienatio, feudumq; nõ niſi in rebus immobilibus aut

æquipollentibus conſtat, *c. un. in fin de feud. cognit. 2. F. 1.* quarū alienatio tutori vel curatori eſt inhibita ſine decreto judicis, quod alienationem non niſi ob veris neceſſitatem concedit *c. d. (at prad. & alijs reb. minor.* certè nec uſumfructum earum transferre poſſunt *Schneidw. de feud. d. p 3. n. 83. Obrecht. d. D. 3. th. 201. & ſeqq.* Alienationis enim vocabulum in materia feudali latiſſimè accipi, ita ut eo omnis actus intelligatur, per quē dominum a. 19. aliquod transfertur ex *Rebuffo in l. alinationis verbum ff. de V. S. & alijs notat Magn. Dn. Arum. d. l. th. 22.* Hujus concluſionis limitationes vid. apud *Schneidw. d. l. n. 84.*

XXV.

Antiqui verò feudi conceſſionem tàm pupillis quàm minoribus etiam ſine tutorum & curatorum conſenſu licitam eſſe *Bald. Alvarott. Andr. de Iſernia Zaſ. de feud. p. 5. n. 37. Obrecht. d. l. 9. 213.* & alij contendunt: Nonnulli diſtinguunt inter pupillum & minorem: Quidam utrum pupillus vel minor tutorē vel curatorem habeat nec ne. Utut ſit, dicēdum videtur, neq; minorem curatorem habentem, quia pupillo comparatur *l. 3. C. de in integr. reſt.* neq; pupillum vetus feudum ſine curatoris conſenſu vel tutoris autoritate ronovare poſſe, tùm quia renovando quaſi contrahit, & res ſuas adminiſtrat cōtra *l. 3. C. de in integr. reſtit. pr. Inſt. de autor. tutor.* tùm quia facilè conditionē ſuam deteriorem reddere poteſt. contra *d. pr. Inſt. d. l.* puta ſi Vaſallus, qui ex aliqua cauſa feudo privandus eſt, renovationem petat. *Ludwell. in Tr. feud. c. 3.*

XXVI.

Ratione *morbi animi* prohibentur furioſi & mente capti, qui omninò conſentire non poſſunt *l. 40 ff. de R. J.* Quod tamen obtinet, quatenus ſunt furioſi; Si enim dilucida furoris intervalla habent, tempore remiſſionis feudum dare ut & quodlibet aliud civile negotiū rectè peragere poſſunt. *§. 1. Inſt. quib. non permiſſ. fac. teſt. l. 6. C. de curat furioſ. Niell. D F. 2. th. 4. l. a.* His cōparatur prodigus, quia & ejus nulla eſt voluntas *d. l. 40. ff. de R. J.* & furioſum quoad bona ſua exitum facere dicitur *l. 12. §. 2. ff. de tutor. & curat. dat. ab hu.* Unde quia neſcit, quid agat facilè in concedendo feudo damnum ſentire poteſt.

XXVII.

Rationē *morbi aut defectus corporis* ſurdi & muti, ita tamē, ſi quid agatur non intelligant: Aliàs non attentâ diſtinctione *Vult. 1. F 3. n 8.* feudum dare nō prohibentur, eo ſcil: modo, qui in jure procedit, *l. 52. in fin. ff. de O. & A.* Hinc procuratores cōſtituere *l. 43. pr. ff. de procur.* item donare poſſunt. *l. 33. §. 2. ff. de donat.* nutu ſcilicet interveniente. Idem de coeco judicium eſto; In hoc igitur negotio non oculorum ſenſus nec valetudo corporis ſed mentis integritas ſpectatur. *Magn. Dn. Arum. d. l. th. 26. & 27.*

XXVIII.

Ratione *poteſtatis, cui ſubſunt*, arcentur filij fam. & ſervi: hi quia planè nihil proprij habent *§. 3. Inſt. per quas perſon.* & obligari nequeunt *l. 22. ff. de R. J.* Illi verò in peculio Adventitio, cujus licet domini ſint, tamen cùm plenam & liberam ejus adminiſtrationem nō habeāt ſed uſusfructus ad patrem ſpectet, *§. 1 Inſt. d. t.* in feudum concedere nequeunt, *arg. d. pr. 2 f. 3.* Illud verò Adventitium, in quo plenum Jus habent *l. 7. & 8. C. de bon. qua lib.* non ſecùs ac Caſtrenſe & Quaſi caſtrenſe, in quibus pro patribus fam. habentur *l. 6. §. fin. ff. de injuſt ruſt. & irrid &c.* procul dubio in feudum concedunt, quia aliàs pro lubitu de ijs diſponere poſſunt. *Vult. 1. F 3. n 5.*

XXIX.

II. Claſſis eſt eorum, qui adminiſtrare quidem res ſolent, ſed tamen earundem dominium nō habent, ut ſunt Procuratores, tutores & curatores. Circa Procuratorem diſtinguunt Dd: an de feudo dando ſpeciale habeat mandatum nec ne, ut priori quidem caſu alijs rectè feudum dare poſſit: Poſteriori verò alijs feudum novum concedere nequeat, tùm quia de voluntate domini non conſtat, tùm quia feudi conceſſio eſt alienatio, quæ procuratori generali eſt interdicta *l. 60 ff de procurat.* Quod tamen Poſterius communiter reſtringunt, quando rati habitio domini acceſſit: hæc enim retrotrahitur & mandato comparatur, ut non malè per eam conceſſio feudi confirmetur fac. *l ult C ad Senatus conſultum Maced.* Cæterùm vi generalis mandati antiquam inveſtituram legitimè renovat, *§. 1. verſ. ſed utrum. per quos fiat inveſt. 2. F. 3* hoc enim caſu nihil dat, ſed datum confirmat.

XXX.

Tutores & curatores quod attinet, iterum diſtinguunt Dd. inter feudum antiquum renovandum & de novo conferendũ, ut priori quidem caſu dubium non ſit quin feuda ejus modi renovare poſſint, quia per id nihil alienatur ſed quod alienatũ eſt renovatur & confirmatur: poſteriori verò caſu omninò nequeant, cùm quia feudum eſt donatio quæ nomine adminiſtrationis his perſonis permiſſæ non continetur *l.7.ff.de donat.l.22.C de pactis l.46.§.fin.ff.de admin tut.* tum quod feudum in rebus immobilibus aut æqui pollentibus conſiſtit, quarum alienatio ſine decreto judicis & urgenti ære alieno tutori vel curatori eſt inhibita *t.t ff.de rebus eorum qui ſub tut.vel cur. t.t. C de præd.& aliis reb.minor* Niell *D.F.2.th. 2. l. a.* Excipiunt tutores & curatores Principum, quia ut horum ſit liberalitatẽ exercere, ita rectè quoq; eorum tutoribus & curatoribꝰ id permittatur. *Weſenb.de feud.c.4.n.7. Obrecht.in Tr.feud. libr. c,1.n. 104.Gothofr.Anton.Exerc.feud.2.th.* 5. *lit.b.*

XXXI.

Hactenus de Perſonis feuda dantibus dixiſſe ſufficiat, ſequitur nunc alterum Diſputationis noſtræ membrum, videlicet de Perſonis, quæ feuda accipere & ſic inveſtiri poſſunt. Hæ in libris feudorum variè appellari ſolent. Vocantur enim modò milites *1.F.19.in pr.& §.1. 1. F. 21. in pr.& paſſim.* quia feuda perumq; militibus data fuêre. modo vaſalli *2.F.14.15.& 16.* à Germanico vocabulo Geſell/ quod comitem ſignificat, quia vaſallus dominum feudi euntem ad bellum comitari ſolebat. item fideles *1.F.1.§.1.& 2.* Clientuli, *1.F.13.pr.* quia in domini clientela quodammodò eſſe videntur *Vult. 1. F. c. 4.n.13. Obrecht.D.f.4.th.190.& ſeqq.*

XXXII.

Et de his textus eſt *in §.1.verſ.perſonam per quos fiat inveſt. 2.F.3.* ubi dicitur, quod perſona inveſtituram accipiens non diſtinguatur Ex quo hæc notanda venit Regula. *feudum omnes accipere poſſe cuiuscunq; ſexus, ætatis, cõditionis, dignitatis aut qualitatis ſint, niſi expreſſim, prohibeantur.*

XXXIII.

Quoad *ſexum* igitur non excluduntur fœminæ *c.un.pr.*

de

de eo qui ſibi vel haredibus ſuis 2.F. 17.*c.un.de feud fam* 2. F. 30 Cũ enim liceat cuiq; rem ſuam, in quem cupit, transferre, *l.21.C. mandati* certè & domino licebit, fœminis feuda concedere. Et hoc caſu dominꝰ, quia ſervitia à fæmina exigere nequit, hanc ipſi gratiam feciſſe intelligitur, ut per ſubſtitutum feudalia officia præſtare poſſint: Imputet enim ſibi, quod minùs idoneæ perſonæ feuda contulit. In Hermaphrodito ſive androgyno is in Jure Civili æſtimatur ſexus, qui in eo prævalet *l.10.ff.de ſtatu homin:* In materia autem noſtra parùm refert, ad quemnam accedat ſexum: uterq; enim feudum rectè accipit *Magn. Nobiliſs. Dn. Arum. d. l. th.* 33.

XXXIV.

Quoad *ætatem* diſtinguendum eſt inter majores, minores & infantes. De majoribus 25. annis res clara eſt. Minores vel ſunt impuberes, infantiam hoc eſt ſeptimum annum egreſſi, & propriè ſic dicti minores hoc eſt puberes 14. ætatis annum egreſſi. Illi etiam ſine tutoribus rectè feuda accipiunt, §.*1.minori ſi de feudo defuncti contentio* 2.F. 26. quia quid agant, quid ve loquantur aliquo modo intelligunt, & quia feudũ eſt beneficium. *c.un.in fin.in quib.cauſ.feud. amitt.* cujus acceptione pupilli conditionem ſuam in meliorem faciunt, quod ipſos etiam ſine tutoris, autoritate facere poſſe cõſtat, *pr.Inſt.de autor tut.* Nec obſtat, quòd neq; juramentum fidelitatis neq; debita ſervitia præſtare queant: Illud enim in tempus pubertatis differtur, *d.§.51.minori 2.F.26.* hæc verò per tutores præſtari poſſunt *arg.c.un.Imp.feudum amitt. 2.F.10. Zaſ de feud.p. 5. n.66.*

XXXV.

Minores quoq; 25. annis ſimiliter abſq; curatoribus rectè feuda accipiunt, *Weſenb. de feud.c, 5.n.5.* His licet contradicat, *Sonsbecius de feud p.7. n.13.* Ipſi tamen adſtipulandum non eſt: Si enim pubes ſine curatoris ſui cõſenſu rem ſuam meliorem facere, jurare & contractus à ſe initos juramento confirmare poteſt. *Auth ſacramenta puberum C ſi adverſ vend.* cur non etiã feuda accipere poſſet? *Magn. Dn. Arum. th 35.*

XXXVI.

Infantem per ſe feudi incapacem eſſe conſtat, quia intellectu caret, & à furioſo nõ multùm diſtat, §.10.*Inſt.de inutil ſtipul.*

pul. Se ne quidem tutore autore ipſum feuda accipere poſſe ex *Zaſio de feud.p.5.n.66.* contendit *Obrecht.D. F.4.th.58. Vult.de feud libr. 1.c.4.n.6.* licet per tutorē id fieri poſſe nō negent, quo caſu inveſtituram quoq; non in pupillum ſed tutorem concipiendam eſſe docent. Verius tamen videtur etiam tutore autore feudum infanti contingere poſſe *arg.l.65.§.3 ff ad Senatus conſultum Trebell. l.5. C de Jur. de lib. junct. l. pupillus. 9.ff. de acquir.vel amittend.hared.* Et licet diſcernere, quid ſibi expediat, non poſſit, judicium tamen ipſius ſuppleat autoris autoritas, *l 5 ff. de R. J.* id quod utilitatis causâ in poſſeſſione receptum dicit Paulus *in l.32.§.2.ff.de acquir.vel amitt.poſſ.* Propter rationis itaq; identitatem ad feodum quoq; commodè referri poterit, *Magn.Dn.Arum.d.l.5.th.36.*

XXXVII.

Conditionis hic nulla habetur ratio, ſive enim liber ſit ſive ſervus nihil inter eſt. *§.1.verſ. perſonam per quos fiat inveſt. 2.F.3.* Et ſervi quidem jus æquè ac Jure civili, quo hæredes inſtitui poſſunt, *l.31.ff.de hered.inſtit.* perpetuò ex perſona dominorum dimetiendum venit. Nihil quoq; refert, an liberi ſint ſui juris, an verò alieni: à quovis enim feuda accipere poſſunt excepto patre, quoniam hæc datio in donationē incideret, quæ inter patrem & filium eſt prohibita *l.1. §.1.ff pro donat.* Hic non leve occurrit dubium, quod non uno captionis ſcalmo conſtat: An uſusfructus feudi filio conceſſi acquiratur patri? Negantiū placet opinio non tantùm quia conventio inter dominum & vaſallum meritò ſervanda eſt *l.1.pr.ff. de pact.§ præterea quid ſit inveſt.2.F.2.* ne feudum in effectu alii acquiratur, quàm cui Jus feudale & providentia domini conceſſit, nec alius invito domino vaſallus obtrudatur: Sed tenor inveſtituræ ſimpliciter in filium directus eſt, non in patrem E. verùm etiam cùm feuda ad aſcendentes non tranſeant *c. un. ff. de natura ſucceſſ. feud. 2. F. 50.* ratio eſt, quia non allodialium conſentur jure, Conceſſo autem patri uſufructu, eo ipſo quoq; feudum ſibi acquireret, contra *d c un 2.F. 50.* Accedit quoq; præter naturalem rationem *l.10.ff.de R J.C.qui ſentit 55. de R.J.in 6.* quod feuda ut plurimùm concedi ſoleant ob militaria ſervitia præſtanda; Atqui tale feudum cenſetur jure Peculij Caſtrenſis *arg.l.1. C. de*

de caſtr. pec. cujus uſusfructus non patri ſed ipſi cedit filio *l. 8. C. de bon. quæ lib* qui ejus intuitu pro patre fam. habetur, *l. 2. ff. ad Senatusconſultum Maced. Magn. Dn. Arum. d. l. 8. 39 Vult. 1. F. 4. n. 8. Gott. D. F. 4. th. 7. Gothofr. Anton. D. f. 2. th. 6. l. c. Finckelth. D. 5. contr. 20.*

XXXVIII.

Ratione *dignitatis ſive ordinis* nihil intereſt, utrum perſona accipiens ſit nobilis vel ignobilis, Eccleſiaſtica vel ſecularis, ſuperior vel in ferior. Sic inter ſeculares Imperatori non præjudicat à quibus vis etiam inferioris dignitatis perſonis feuda accipere. Ita Carolus V. fuit imperij Vaſallus ratione ducatus Mediolanenſis & Geldriæ. Regis Galliæ ratione Flandriæ Atrebatæ & Hennegau. Pontificis nomine Regni Neapolitani, Siciliæ & aliarũ provinciarum. Sic Rex Scotiæ eſt Vaſallus Regis Angliæ, Rex Daniæ imperio ſubjectus eſt ob partem Holſatiæ. Hi tamen ipſi neq; fidelitatem jurant, neq; Servitia feudalia præſtant (tantæ enim majeſtati haud convenit) ſed vicariâ aliorum utuntur operâ. Multò magis autem inferiores à ſuperioribus feuda accipere poſſunt, quod ad infimi quoq; ſubſellij homines accommodandum videtur, ita ut ruſtici, quia jure feudorum non reperiuntur prohibiti, feudi capaces ſint. *Zaſ. de feud p. 5. n. 68.*

XXXIX.

Sed & Eccleſiaſticæ perſonæ, cujuscunq; ſint ordinis, feuda rectè accipiunt. Hinc Pontifex Archiepiſcopi, Epiſcopi Abbates &c. non tantum ab Eccleſiaſticis, ſed & ſecularibus puta Imp. Regibus & alio qvovis feuda accipere poſſunt. *c. un. §. fin. de capitalis Corradi. 2. F. 40. Borchol. de feud. c. 5. n. 49.* Et hoc caſu ſi clericus ſcienter à ſeculari inveſtitus fuerit perſubſtitutum perſonale ſervitium ritè præſtabit, *Hartm. Piſt. libr. 2. qq. p. 2. q. 33. n. 23.* Scienter dixi. quando enim neſcit eſſe Clericũm, feudi à ſe dati revocandi facultatẽ habet, ut vult *Schrad. de feud p. 4. c. 3. n. 7.* Non obſtat, quod Clerici nequidem cum juramento laici juriſdictioni ſe ſubijcere queant *c. ſi diligenti 12. X. de foro compet.* cùm nõ ſit privilegium perſonæ ſed ordini tribuitũ *d. c. 12.* Illud enim licet Jure Põtificio regulariter verũ ſit, in feudo tamen exceptionem admittit, & clericus coram

 laico

laico hoc eſt domino feudi vel paribus curiæ rectè cōvenitur. *Gail 1. obſ. c. 37. n. 3. Mynſing. Cent. 1. obſ. 22.* Et quamvis per clericatũ, adſumptum laicus feudum ipſo jure amittat. *c. un. de vaſallo milite & c. 2. F. 21. § qui clericus ſi de feudo de functi. 2. F. 26.* id tamē nō de acquirendo feudo ſed antiquo retinendo intelligendũ videtur *d. c. un. d. §. qui clericus. c. caterum 5. X. de judic. c. ex transmiſſo X. de foro compet. Magn. Dn. Arum d. l. th. 42. Obrecht. d. D. 4. th. 20. & ſeqq.*

XL.

In monacho hoc ſingulariter receptum dicunt feudiſtæ, ut, quoniam nihil proprium habere poſſit, ſi de feudo inveſtitus fuerit, illud ad exemplum ſervi non ſibi ſed monaſterio acquirat, monaſterium verò per ſubſtitutos ſervitia præſtet *Roſenth. de feud. c. 3. concl. 4. Vult. 1. F. 4. n. 9.* in quo tamen circa tempus hanc ex *Claro, Andrea de Iſernia & Intriglolo* differentiam notandam vult *Magn. Dn. Arum. d. l. th. 41.* ut ſi monacho reſpectu monaſterij feudum concedatur, tunc perpetuò, ſi vero intuitu monachi, ſaltem ad vitam ipſiùs feudatarij apud monaſterum permaneat.

XLI.

Reſtat *Qualitatis* conſideratio, per quam ea diſpicienda veniunt accidentia quæ in hominem facilè cadere poſſunt, ut furor dementia, ſurditas, cœcitas, &c. quæ an feudum accipienti obſtent non uſq; quaq; liquet? Et licet primâ fronte id ſimpliciter negandum videatur, *c. un. de clerico qui inveſt. 2. F. 36.* diſtinctione tamen rem carere non omninò diffitendum erit. ut ſi quidem muto, ſurdo, coeco & ſimilibus feudum datum ſit, ob talia ſervitia, quæ vel ipſi non attento vitio præſtare, vel ab alio non repugnante feudi naturâ expediri poſſunt, tunc feudum ſubſiſtat, ſi verò ob ſervitia ab ipſo Vaſallo expedienda conceſſũ ſit, is verò per qualitatem aliquam ſuperventã inidoneus exiſtat, tunc causâ feudi deficiente, ipſum quoq; feudum corruat. *Magn. Dn. Arum. th. 4[illegible].* Quæ diſtinctio nō refragari videtur *d. c. un. 2. F. 36.* eâq; difficultati *§. mutus 2. Epiſcopum vel abbatem 1. F. 6.* facilè ſubveniri poteſt. Et hæc de qualitate ſuperveniente eo quo diximus modo expedita ſunt. Sed quid ſi inhabilis naturâ talis ſit? hoc caſu ſibi imputet dominus, quod talem Vaſallum elegerit.

XLII. De-

XLII.

Deniq; Civitates, Collegia, Eccleſiæ & Univerſitates quoq; feuda ſibi acquirunt, quibus tamen, cùm nunquàm moriantur, licet perſonæ, ex quibus nunc conſtát, in rebus humanis eſſe deſinant, *l. 76. ff. de judic. l. 7. §. 2 ff. quod cujusq; univerſ.* atq; ita domino ſpes omnis apertionis per amortizationem quam vocant bonorum. præcidatur, haud facile feuda conceduntur. *Petr. Peck de amortiz bon c. 24.*

XLIII.

Non modò autem per nos metipſos ſed etiam per tutores & curatores, de quibus jam ſupra dictum, item procuratores, ſive generale ſive ſpeciale habeant mandatũ, feuda accipere poſſumus *§. 1. verſ. ſed utrum. per quos fiat inveſt. 2. F. 3 § item ſciendum de notis feud. 2. F. 58 Obrecht. d. D f. 4 th. 184.*

XLIV.

Prohibentur feudum accipere hæretici, Excommunicati excommunicatione majori, deportati, Banniti imperij, læſæ majeſtatis rei, aut alio publico crimine damnati, Uſurarij manifeſti, infames infamiâ juris & alij ejuſdem farinæ. De quibus omnibus in genere hæc redditur prohibitionis ratio, quod indigni ſint, in quos feuda conferantur, *Goed. D. f. 4. th. 8. Borcholt. c. 5. Vult. 1. F. 12. & feudiſta communiter.* Et tantum de perſonis pro ingenij modulo dixiſſe ſufficiat.

COROLLARIA EX JURE CANONICO DESUMPTA.

I.

Merum Imperium jure civili mandari (excepto caſu abſentiæ *l. 1. pr. ff. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd.*) alteri non poſſe apertè deciſum eſt, *d. l. 1. pr & l. fin ff d. t. l. 6. ff. & offic. proconſ. l. nemo poteſt 70 ff. de R. J.* Quod nec Jure Canonico omninò correctum videtur *arg. c. 3. in fin. X de offic. & poteſt. judic. de leg. c. 1 Clem. de hæred. Fachin. libr. 9. contr. 99. Bachov. ad Treutl. v. 1. D 3. th. 6. l. g.* nec moribꝰ noſtris abrogatũ eſt

P. H. D.

P.H.D. *art.* 2. R.A. *da anno* 1570. *tit.* Reuterbeſtallung *Rubr.* wie das Reuterrecht ſol gehalten werden / *art.* 5. *Diſſent. Weſen. p. ff. de juriſd. Treutl. d. l.*

2. Donationem Conſtantini Magni Imp. Sylveſtro Papæ (non obſtante *c. conſtantinus* 13. *diſt.* 96.) nunquàm factam eſſe & 2. ſi facta ſit nullius momenti, imò ipſo jure nullam eſſe defendimus cum *Ampl. & Excellent. Dn. Præſide Ex. Juſt.* 1. *q.* 4. *Theodor. Reinking. Tr. de R. S. & E. libr.* 1. *cl.* 2 *c.* 7. *n.* 45. *& ſeqq.* & 3. ſi ſubſiſteret, eam tamen ob inſignem Pontificum in Imp. ingratitudinē revocari poſſe cenſemus per ea que habet. *Reinking. d. l.*

3. Non ſatis juſtâ ratione Jus Canon. *c. fin. X. de raptor.* in eo facit divortium à Jure Civili *l. un. C. de raptu virginum*, quòd inter raptorem & raptam conjugium permiſerit, ſi modò prior diſſenſio tranſeat poſtmodū in conſenſum, & quod antè diſplicuit tandem complacere incipiat uti loquitur Pontifex. *in d. c. f.*

4. An juramentum vi vel metu extortum valeat an v. ipſo jure nullum ſit? Prius Affir non tantùm Jure Canon. quo abſolutione indiget, *c. ſi verò* 8. *c. verum* 15. *X. de jurejur.* ſed etiam Jure Civili non obſtante *Auth. ſacramenta puberum C. ſi adverſ. vend. Diſſent. Tr. v. i. D.* 21 *th.* 2. *l. c.*

DEO SIT LAUS ET GLORIA
in ſempiterna ſecula.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL